

3) 7
Q. D. B. V.

Ex

Physicis

DISPUTATIONEM PUBLICAM,

De

ELEMENTIS

IN GENERE,

SUB PRÆSIDIO,

M. GEORGI CASP. KIRCHMAIERI,

Placide Eruditorum Disquisitioni sistet,

In Electorali ad Albim Aca-

demiâ,

RESPONDENS,

GEORGIUS SCHENCK

Creilsheimensis Francus:

Ad d. XVII. Dec. A. O. R. M. DC. LIX.

Horis pomeridianis

Loco Solito.

—•••••
Litteris Hæred. MELCHIORIS OELSCHLEGELII,

ANNOM. DC. LIX.

Physica.

271,33

9i

Q. D. R. V.

DEPARTMENT OF THE HISTORY OF ARTS

DE

ELEMENTS

IN GEOMETRY

BY

M. GEORGIUS SCHEINER

PROFESSOR OF MATHEMATICS

IN THE UNIVERSITY OF SALZBURG

1659

RESPECTU

GEORGIUS SCHEINER

1659

ANNO 1659

1659

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden





ΕΙΣ ΔΙΟΝ.

DRotrita vox, reconditæ doctrinæ plenissimares, ELEMENTUM. Non tam capitur facile, quàm dicitur Communia omnium mistorum dona ac bona, Elementa. Elementa si ex Indiis tantùm ad nos Europæos advehenda forent, admirarentur singuli atq; universi. Nunc cum domi nostra, elementorum suppetat affatim, fermè non, usu cotidiano evilescunt. Malè actum est cum creditore, cum publicum ac perennem liberalitatis tenorem non agnoscit debitor. Quid enim ingratius? Nos nostra Naturæ Promaconda debita ex soluturi, ut grati videamur, penitiùs hæc bona introspiciemus. Tuo, gloriose Deus, nomini seritur ac metitur, dum indagatur veritas. Quæ sicut est à Te; sic est ad Te. Te adoramus unicè.

SECTIO I. DOGMATICA

THEOREMA I.

Elementa sunt corpora naturalia simplicia, sub cælo contenta, ad universi integritatem mistorumq; constitutionem, à Creatore facta.

§. I. Elementa, ut à nomine ordiamur, plerique dicta voluerunt, quasi alimenta. Quòd omnia ex elementis & componantur & alantur. Hinc Aristoteles, iisdem, inquit, constamus, quibus & nutrimur. Veruntamen hæc ipsa, ut tristissima originatio est, sic nullum inter Cordatiores merebitur applausum. Stoica est, Grammatica non est, Etymologia præ-

Ονοματολογία.

sens. Non nominis, sed rei tantum fit expositio. Sic lapis quasi *lædipes*, lepus quasi *levipes*, vulpes quasi *volipes*, bruma quasi *brevima* (dies) aqua, quasi *â quâ* omnia. Sed & res ipsa nomini respondet neutiquam. Neque enim alunt elementa. Id quod alit, Calidum innatum est. Ceu alibi probatum. *Matthias Martinus* in Lexico suo, elementum ab *ἐλάω*, quod venio, progredior, promoveo, significat (quod ex elementis mista omnia progrediantur) derivat. Doctissimus *Beccmannus* *ὑπὸ πῆς ὕλης*. *Hyle*, *ile* vel *ele* dicatur? parum, ait, interesse. *Mentum* verò, pro appendice formationis habet. Quemadmodum ab *alo* alimentum factum, *â* purgo purgamentum. Est enim Elementum nil aliud propemodum, quam *ὕλη*, h. e. materia, unde corpora hæc sublunaria constant. Ita illi.

§. II. Non absurdus fuerit interim, qui Elementi vocem ratione Originis, *primitivam* esse dixerit, coaluisse tamen ex *consonantibus simplicibus*, & tribus quidem inter illas, *liquidis*, immediatè se excipientibus, L. M. N. adscitâ ob *ὀρθοφωνίαν*, literâ mutâ T. in fine. Hinc Elementa. Quemadmodum enim ex literis seu elementis alphabetariis, voces universæ constant, inque ea postliminiò resolvuntur; Ita & ex Elementis, terrâ, aquâ, igne atque aëre, mista cuncta componuntur, ac novissimè, resolvenda ubi sunt, in ipsa illa abeunt. Et sicuti quatuor Elementa, simplicia corpora sunt; ita totidem simplicitatis indicinæ literæ, præsentis voci, commodissimè obstetricari videbantur. Sed Criticorum hæc relinquenda curis.

§. III. Nos *Homonymiam* extricaturi sumus. Accipitur namque, elementi notio (I.) *Biblicè* ut Gal. IV. 3. pro rudimentis ceremoniarum Leviticarum, umbratilique legalis pædagogicæ institutione. *Erant enim*, inquit B. Chemnitius, *sacrificia V. T. & cultus Leviticus, crepundia quasi, quibus ad colendum Deum incitatus & plectus populus DEI in veteri Fædere fuit.* Hinc vocantur elementa mundi. (II.) *Philologicè*, pro primis rerum quarumcunque rudimentis, præceptis primis atque fundamentis. Hoc sensu habemus elementa Grammatica, Rhetorica, Pœtica, Logica &c. (III.) *Mathematicè*, pro quo-

quolibet vel primo vel indivisibili vel radice etiam. Sic punctum dicitur elementum lineæ: unitas numeri. Sic & in figuris Geometricis, lineæ dicuntur Elementa. (IV.) *Physicè*, partim *generaliter* pro primis corporum naturalium efficiendi principiis, ac causis. De quibus aliàs in frontispicio partis *Physicæ* generalis agi solet. Hinc & Aristoteles aliquoties elementi nomine, principia rerum naturalium salutatur. Partim *specialiter* seu competenter, ut h. l. pro corpore simplici, homogæneo, sublunari, corpora mixta componente.

§. IV. Synonymiam quod concernit, *Græcis* elementa στοιχεῖα, ἀπὸ τῆς στοιχεῖν, h. e. ire, ordine incedere, dicuntur. Tùm quòd univèrsa mixta ex elementorum prodeant ac oriuntur gremio: Tùm quòd ipsa Elementa, ordine & proportionè quâdam, non *Arithmetica* quidem & quæ ad pondus est, *Geometrica* tamen, & quæ ad justitiam sic appellatur, inter sese mixta sint. *Latinis*, corpora simplicia sublunaria, catholica mixtorum principia audiunt. Invenias, qui Materix primæ titulo mactare elementa solent. Quâ de re, peculiaris infrâ nos edocebit quæstio.

§. V. Rem ipsam ut aggrediamur, methodus requirit. *Genus* consistit in hoc, quod sint corpora naturalia simplicia. Res una, verba plura. *Complexio igitur non rerum sed vocabulorum*. Nulla igitur fit *Logicæ* injuria. Si vivere Pythagoras sine cibo posset, parceret & oleribus. Si sensa animi, Philosophus rotundè, nullibi non communicare posset, à prolixitate sibi temperaret. *Corpora* sunt, quia essentialès veri corporis obtinent partes. Adest materia in igne, terrâ, aere, aquâ, adest forma. *Naturalia* sunt, quia naturâ naturalibusque ut affectionibus ita & effectibus præpollent. In Naturâ sunt, & propter univèrsi complementum à naturâ Independentè illâ, facta sunt. *Simplicia* sunt, propter materiam, quâ gaudent, simplicem & compositionis nesciam. Compositionem intellige, non (1.) *Metaphysicam* ex subjecto atque accidentibus. Quis enim elementis hanc ademptam velit? Nec (2.) *Logicam* ex genere & Differentiâ. Nam & hanc ambabus elemento

Πεγαυματο-
λογία.

mento attributum imus ulnis. Nec (3.) *Indiscriminatam illam* *Physicam* ex formâ & materiâ, quippe quæ omnibus, in universum competit corporibus; sed *restrictam* & in oppositione, admista sic denominatam. Quæ & ipsa non uniusmodi. *Alia absolutè simplex*, in ordine rerum naturalium, *simplicitas*, competens cœlo, aquis supracœlestibus ac Elementis. *Alia certo modo talis*, qualis scilicet in stellis.

§. VI. Differentia desumpta (1.) *à loco est*. Corpora namque subcœlestia & sublunaria, elementa. (2.) *à fine seu officio*. Finis hic *universalis* partim, ut Gloria summipotentis. Partim *particularis*. Hic identidem vel *Absolutus*, ut videlicet sint mundi species, mundumque integrent: vel *Respectivus*, ut ingrediantur & componant omnia mistorum genera. (3.) *Ab Efficiente seu principio à quo*. Deo nimirum. A quo cuncta, in quo cuncta, ad quem cuncta. Hic cum globum conderet Terraqueum, & totius hujus machinæ mundanæ fundamenta jaceret, fecit, quod factum est. Licet nulla sive ignis sive æris, in Creationis Ephemeride vestigia reperiantur.

THEOREMA II.

Suntq; secundum receptam hætenus Philosophiam, IV.
Aer, Aqua, Terra, Ignis.

§ I. Mira hîc opinionum prostant divortia, Philosophi *Sinenses* (vel ut alii *Chinenses*) quorum gens universa, ficuti nasuta admodum, ita nuspiam nisi sarcasmis in Europæos liberalis, quinq; numerant, *Trigantio* teste, elementa. *Metallum, lignum, ignem, aquam, terram*. Horum aliud ex alio nasci addunt. Aerem quia non vident, non agnoscunt. Ubi enim nos æerem, ibi illi vacuum esse ajunt. Veruntamen ne limis quidem oculis naturæ magnalia usurpavêre, qui alioquin solos se oculatos esse, & Europæos cæcutire somniantur.

§. II. *Renatus Cartesius*, Philosophiæ usitatae hætenus & approbatae novissimus exagitator, singularia, ut solet, sectatur

in Hist. Sinens. l. 4. c. 3.

tur

tur dogmatum commenta. *Tria quippe statuit Elementa, primum, secundum, tertium.* Globulos materiae in omne latus mobiles confingit. Hos aliter aliterque, & motos & figuratos, nunc hæc, nunc alia elaborare corpora, putans. Sed audiamus ipsū: *Jam itaq; duo habemus genera materiae valde diversa, quæ duo prima Elementa hujus mundi aspectabilis dici possunt. Primum est illius, quod tantam vim habet agitationis, ut aliis vaporibus occurrendo, in minutias indefinitæ parvitatæ dividatur, & figuras suas ad omnes angulorum, ab iis relictorum, angustias implendas accommodet. Alterū est ejus, quæ divisa est in particulas Sphericas, valde quidem minutas, si cum iis corporibus, quæ oculis cernere possumus, comparentur; Sed tamen certæ ac determinatæ quantitatis, & divisibiles in alias multo minores. Tertiumq; paulò post inveniemus, constans partibus vel magis crassis, vel figuras, minus ad motum aptas habentibus. Et ex his tribus, omnia hujus mundi aspectabilis corpora componi ostendemus. Nempe solem & stellas fixas, ex primo, cælos ex secundo, & Terram cum Planetis & cometis, ex tertio.* Hæc Cartesius, qui aliquot subsequituris pagg. figillatim prolixissimè demonstrare satagit, compendiosè hæc hactenus insinuata. Ridicula hæc sunt & Poetâ quàm Philosopho, digniora. Nos autem explosis illis, *primi, secundi, tertiiq;* elementi globulis Cartesianis, novissimam miramur subtilitatē, cur scilicet ex primo elemento, solem & stellas fixas: Ex secundo verò, cujus crassiores fingit materie globulos Cartesius, cælum deducere voluerit. Forfan cæli materia crassior densiorque quam Stellarum? Egregiè! miramur inconstantiam Cartesianam. Terram Planetis h. l. & rectè quidem contra distinguit. Alibi, terram inter Planetarum refert numerum. Nempe rarò sibi constat falsitas.

*Cartes. princ.
Phil. part. 3.
p. 67. num. 52.*

§ III. Cæterum, & alii, quaternionem elementorum inficias euntes, in procinctu sunt. Ut enim silentio Antiquiores prætereamus, elementa IV. acerrimè impugnant ex recentioribus Hieronimus Cardanus, Franciscus Patritius, Thomas Campanella, Dn. D. Bartholinus, Celeberrimus Job. Jonstius, Wendelinus, Adr. Heerebord, Chrysofostomus Magnenus, Scipio Claramor-

ramontius ex parte & tenaciter Job. Baptista Helmontius. Quo-
rum nonnulli aerem, plerique verò ignem ex elementorum
expunxerunt albo, aliqui utrumque. Apponeremus singulo-
rum & loca & signata verba, nisi major utilitatis, quam osten-
tationis nobis sederet cura. Quæ omnia eò nobis conducere
videntur, ne justo confidentiores simus, & securi de solidis
rerum stabiliendarū fundamentis, nil nisi auctoritatum tra-
duces crepemus. Nondum profundus ille veritatis puteus ex-
haustus omnis est. Relinquentur & posteris nonnulla inda-
gandæ veritatis dubia, quamquam affectatis nos patrocini-
um ferre Novatoribus, hoc ipso nequaquam studeamus.

§. IV. Peripateticorum plerique, his communiter ra-
tiunculis adstruere quaternarium Elementorum numerum
conantur. (1.) *Ex quadruplici possibili primarum qualitatum*
συστάσις s. combinatione (2.) *Ex quadruplici motu simplici* (3) *Ex*
graduali cum levitate tum gravitate. (4.) *Ex quatuor communibus*
humoribus, phlegmatico nimirum s. aquoso: sanguineo, seu
igneo: Melancholico, seu terreo: Aereo, s. Cholerico. Hæ illæ
illorum, pro sustentandis elementis, columnæ, robur, non ni-
si emine conspectæ atq; intentatæ, speciosum pollicentes, sub
recessu parum obtinentes. Pessimè actum cum veritate est,
quando majori isthæc ignominia exponitur, atq; ludibrio.
Fuci & ignavum pecus, milites, qui cum ferro possunt, spon-
giis pugnare non verescunt. Ita & proditur & perdi-
tur, quæ asseri debebat, veritas. Quotus quisque hîc tam ab-
surdo natus ingenio est, quin insipidas, quas nectunt negare
consequentias, nonnullas etiam inficiari subsumptiones pos-
sit? placent, quæ B. noster in Prælectionibus Exercit. Physica-
rum, adduxit SPERLINGIUS: *Infirmæ hæc admodum argumen-*
ta sunt, & falsis fundata hypothesis. Vide si placet singulas ad
singula hæc peripateticorum argumenta registiones, loco è
regione citato, SPERLINGIANAS. Adde insuper & ad pro-
lixissimè hæc ventilantes *Adrianum Heerebord.* in Appendic.
Disp. ex Philos. select p. 353. & præprimis *Job. Chrysof.* *Mageniū*
in Democrito Reviviscens; Disp. I. c. 2. proposit. 9, p. 97. usque
ad p. 110.

§. V. Nos.

Exerc. lib. 4.
ex 1.

§. V. Nos non tam numerum quam pondus aestimantes, pro Elementorum quaternione sic ratiocinamur. Quotcunque dantur corpora naturalia simplicia sublunaria, ad omnem mistorum compositionem facientia & homogenea, tot etiam dantur elementa; Atqui IV. (non plura nec pauciora) dantur istiusmodi corpora naturalia simplicia, sublunaria &c. E. Major ex definitione Elementi conceditur ab universis. Minorem, quam & sensus probant, ratioque approbat, inficias iturus, contrarium ut demonstraret, necessum est. Nos pro minore sic colligimus: Quatuor isthaec recensita corpora (ignis, aer, aqua, terra) vel simplicia corpora sunt, vel ex aliis, se prioribus simplicioribusque constant. Si prius, habemus quod volumus. Si posterius, tunc aut demonstranda illa, elementis & priora & simpliciora corpora, erunt, aut dabitur processus in infinitum, nisi in modo dictis acquiescamus. Porro: Corpora ista simplicia sublunaria, vel sola talia sunt, vel alia penes se aequè simplicia habent. Si hoc, demonstrantur. Si prius, stat sententia.

§. VI. Sunt qui hunc quoque in modum pro quaternario Elementorum argumentantur numero: Tot sunt Elementa, quod in omni misto deprehenduntur peculiare & affectiones & operationes. Atqui IV. deprehenduntur in omni misto peculiare & affectiones & operationes. E. Minorem probant, quia mistum omne vel ficcum est, propter terram: vel ficcissimum propter ignem: vel humidum propter aquam: vel leve propter aerem, sicuti levisimum propter ignem &c. Vid: Arnoldus Senguerdus Phil. Prof. & Bibliothecar: Amstelodam: in Introduct. ad Phys. l. 2. c. 5. p. 184. Veruntamen cum in omni misto principia Chymica quoque atque ideò peculiare, & Elementis longè nobiliores, tunc affectiones tunc effectiones deprehendantur, parum quidem obtinebit roboris, discursus hicce. Et crede mihi, si primò corpora sublunaria sunt, Sal, Sulphur & Mercurius, ut sunt: Si simplici quoque praedita materie: Si denique ad omne mistum constituendum concurrunt; Jamjam actum de quaternione Elementorum foret. Sed de his alibi. Ipse certè Senguerdus nolens volens subolfecerat, quid

B

sub

sub recessu ratio haberet isthæc: Hinc Disp. VI. Colleg. Phy
p. 63. §. X. hæc definit in verba: Putabit fortasse aliquis, multo
plura Elementa esse admittenda, quam hæc quatuor. Quia in mi-
stis corporibus deprehenduntur multe proprietates & operationes,
quarum ratio ex Elementis peti nequit, cum Elementorum actio-
nes longè superent: Quare igitur alia adhuc corpora simplicia pri-
ma videntur dari, & consequenter Elementa, que cause sint illa-
rum operationum.

SECTIO II. PORISMATICA.

PORISMA I.

*Elementa disposita sunt non ex iudicio nostro, secundum levitatem
& gravitatem; sed ex sapientissimi Dispensatoris
beneplacito, secundum corporum mistorum vari-
am commoditatem.*

li. 4. de Cæl. c.
4. 5. 2. de Ort.
& Intic. 3. &
segg.

§. I. Ignem eminere cæteris, cum sit summè & sim-
pliciter levis; terram omnibus subjacere, cum sit summè &
simpliciter gravis: Aerem levisimo Elemento proximè assi-
stere, affirmat Aristoteles. Idem ait: Ignem & terram extre-
ma atque purissima esse: Media & magis admista aquam &
aërem, & utraque utrisque contraria. Exscripsit hæc
ut communiter & alia ex Ocello Lucano, cuius ne verbuli qui-
dem fecit mentionem, Aristoteles. Lucani verba sunt: Ignis &
terra, extrema sunt Elementa, aqua & aër media, quippe que ad-
mistam habent sui corporis effectiorem. Integrum Systema uni-
versitatis hujus Peripateticorum hoc est. Terra gravissima,
infimum sortita locum est: Supra hanc, aqua: Supra aquam,
aër: supra aërem, ignis, qui sub Lunæ stabulatur concavo,
ad quem locum omnis naturaliter ascendit ignis.

§. II. Nos etsi fateamur lubentissimè, omnia in nume-
ro, ordine ac pondere creasse Conditorem Optimum, huic ta-
men ut assentiremur fictitiæ planè dispositioni, impetrare à
nobis

nobis quidem hactenus nequivimus. Ille demum genuinus rerum ordo est, non quem nobis nos imaginamur, sed quem intenderat Cosmoplastes solertissimus. Intendit illum autem, quem à primis mundi incunabulis hucusque constantissimè natura observavit. Hæc & Ignes & undas, intra terram, innumerabili ostendit copiâ. Aliter enim nec herbæ nec arbores, nec gemmæ, nec metalla, nec talia alia infinita fermè, crescere, augescere vigescereq; potuissent. Usus superavit & levitatis & gravitatis pondus. Age verò quis ille ordo esset, si cœlo vicinissimus & immediatè contiguus foret ignis? Aerem igitur, cœlo quoad pleraque consimilem, relinquamus in superis illis sub Lunæ concavo, locis, necessum est. Ignis enim diversissimæ, & tantum non contrariæ à cœlo est naturæ. Extrema hæc, nec Deus nec Natura immediatè copulare student. Eruditè Incomparabilis SPERLINGIUS: *Nihil alienum magis putamus, à Nature sapientiâ, prudentiâ, constantiâ, imò & consuetudine quàm extrema extremis jungere. Sapientiâ est, à primis ad tertia, per media & hinc ad extrema usque descendere: Idem ibidem: Extremorum conjunctio non vacat periculo. Nunc fractio metuenda, nunc contusio, nunc allisio, nunc destructio. Everteretur etiam mirabilis nature constantia, si contrarium contrario, si hostis hosti incumberet. &c.*

Medit. super. Scalig. 21. cf. fat. 2. p. 544.

§. III. Ut proindè ineffabilis Dei cùm Sapientia tum immensa, erga creaturas beneficentia appareret, nullibi vel aquam solam puramque: Nullibi solam ac puram voluit esse terram. Quanto hoc militet mistorum commodo, intelligi facilius, quàm verbis exprimi fortassis potest. Subtiliter pro more suo, Scaliger: *Principio, inquit, sub terrâ perennat Ignis, Aquis affines scopuli: Aeri terra: Animalium sanguis liquidissimus, intra venæ parietes rigidos; Deniq; corpus cum animâ conjunctum: ne doleas tibi (Cardanum reprehendit) impa-cta superiora argumenta, quorum principia sint per accidens: ut ignem sub terrâ, terram aëri, contiguam. Nam tametsi ita est: Tamen nature opus est hic terræ situs, atq; collocatio extra aquas.*

Exerc. 9.

VICITENIM τὸ εὐκτα τὸ βέλιον εἶναι, VIM NECESSITA-

B 2

TIS,

TIS, QVO TERRAM UNIVERSAM COMPLECTI DE-
BEAT AQVA. Verba ex Tripode dicta. Vicit, inquit, ne-
cessitatem utilitas: Vicit benè esse, ipsum esse. Ut in nostro
hoc corpore, sanguis & Spiritus per venas arteriasque dif-
funduntur: Ita in terrâ quoque sunt itinera non spatiosa mi-
nùs quàm frequentia, per quæ aquæ; alia quoque, per quæ
Spiritus & currunt & recurrunt. Ignem subterraneum quis
ignorat? Quis de uberrimo in tignis lignis, arboribusq; lati-
tâte igne dubitat? Et cum integra incendio traditur oppida,
tum tuares agitur paries cùm proximus ardet. Ad latera igitur
cùm & ruere soleat ignis, quis tam perfrixtæ frontis, non ni-
si, & semper ad superiora illa aëris moliri loca, ignem asseve-
ret? Hæc si vera, cadit illa secundum levitatem gravitatemq;
Elementorum dispositio.

PORISMA II.

*Elementa in mundo non existunt
pura.*

§. I. Vicit & hoc loco necessitatem utilitas. Cui enim
bono foret aër purus. Si ad internecionem quidem, talis
est exitiosus. Ubi quæso respiratio, puro si vivendum foret:
aëre, maneret? Hinc tot in aere, nunc nebulæ, nunc nubes,
nunc pluvix, nunc venti, nunc grandines existunt. Aquæ im-
puritatem, hinc sapor, isthinc color, illinc odor, alibi putre-
do, pisciumque in his degentium, & ex Calido Innato ali-
moniam quærentium, ratio plus satis docet. Ignis impuri-
tas tanta est, ut hoc nomine Elementi naturam deposuisse
videatur Cardano. Omnium impurissima existit terra. Hæc
enim mistorum omnium & Mater & Basis & Promaconda.
Ex hâc egrediuntur cuncta, cuncta regrediuntur in eandem. Ex
hâc & meteora surgunt venenorumq; ascendunt semina & in-
numera nunc commoda nunc detrimenta oriuntur.

§. II. Hæc tamen impuritas fraudi esse Elemento-
rum

rum simplicitati nequit. Distinguendum enim inter Elementa *ratione essentiae & existentiae* spectata. Sunt manentque in se simplicia corpora Elementa, sed propter mistorum usum fructum, nusquam & nunquam existunt pura. Ostende quæso vel unicum terræ, sibi soli relictæ pugillum, purum & ab omni alio sive Elemento, sive Sale Sulphureque liberatum, & ostendam tibi aquam puram, & ab alio immunem corpore. Quod uterque nostrum, ad Græcas præstiterit Calendas.

De aere verò superioris, quam vocant regionis, res obscurior non nihil. Quanquam cum nulla ibi stabulentur & nutriantur mista, nullâ opus impuritate fuit. Cessante fine igitur, cessat ratio causandi. Cessant fini proportionata media. Sicut Domino placuit, ita factum est, *sit nomen Domini benedictum.*

SECTIO III. ELENCTICA.

DUBIUM II.

An Elementa alterentur, transmutentur, generentur ac corrumpantur?

§. I. Ita præter Antiquiores plerosque (Conimbrienses puta, Complutentes, Tolet. Zabarell. Magir. & c.) ex Recentioribus opinantur *Franciscus Abra de Raconis* in Sum. phil. part. 3. disp. 2. pag. 160. *Philippus à Sanctiss. Trinit.* in 2. secundæ lib. p. 301. 303. qu. 19. *Jacob. Fournenc* Tom. 5. Univ. Phil. Syn. c. 3. pag. 20. 21. Nec minùs præsens tutatus dogma est (præter Dn. Zeisoldum, cujus nullam hîc faciemus mentionem) *Lugdunens. Prof. Adr. Heerebord.* Disp. ex Phil. select. 37. part 4. p. 137. 138. & seq.

§. II. Atque hi quidem, ne omninò absurdi esse videntur, distinguunt (1.) inter transmutationem Elementorum *partialem & totalem.* Priorem asserunt. (2.) inter Elementa *Symbolica & Asymbolica.* Illorum faciliorem, E. G. aquæ in aë-

rem, terræ in ignem conversionem: Horum difficiliorem esse asseverant (.) Quando superiora elementa transmutantur in inferiora, *condensationem* vocant. Ut potè cum aër mutatur in aquam. Quando inferiora in superiora abeunt, E. G. aqua in aerem, *rarefactionem* nuncupant. (4.) Alteratio illis qualitatatum: veluti transmutatio, substantiarum infert mutationem. Corruptio quid sit, quidq; generatio, non opus monitoris.

§. III. Nos somnia, omnia isthæc proclamantes, sequentes contra elementorum *alterationem* in aciem locamus rationes. *Quia adjuncta propria naturaliter nec mutari nec separari à subjectis suis possunt.* Hinc & ipse Aristoteles I. Phys. text. 4. τὰ πρῶτα, ἀχώριστα appellat. Rectissimeque Cl. Schegkianus, propria, inquit non possunt periri, quin simul subjecta & naturæ eorum perimantur. Hinc versus:

Natura, si sunt propria salva, manent.:

Natura, si sunt propria demta, jacent.

*Quia insuper nullum accidens reale migrat de subjecto in subjectum. Quia dogma de alteratione elementorum in uno eodemq; subjecto, uno eodemque momento, duas contrarias importat actiones. Quemadmodum pereruditè hoc probat libr. 4. Instit. Phys. c. 6. quæst. 12. Incomparab. SPERLINGIUS. Dist. saltem (1.) inter qualitatatum elementarium *occultationem* seu *suppressionem* & *proprie dictam alterationem*. De post: quæritur. Aqua nimirum ad ignem calefacta, naturalem non deposuit frigiditatem, sed hæc suppressa ad interim duntaxat est, à valentiore ac violentiore hoste. (2.) inter qualitatatum elementarium *transmigrationem mediatam* & *immediatam*. Illam, quâ cum subjecto, E. G. igne, in aquam se induit caliditas, non inficiamur.*

De post. quær:

§. IV. Adversus *transmutationem* hæc militare possunt. *Quia formæ elementorum sunt immutabiles, consistentes ἐν ἀδιαλύτῳ ἀδιαρέτῳ καὶ ἀδιασάστῳ.* Quia Dogma transmutandorū elementorum duo maxima & solemnia Physicorum introducit paradoxa. H. e. vel vacuum sine corpore, vel corporis in corpus penetrationem.

nem. Quæ eruditissimo & prolixo etiam profecutus discursu
est Noster, nunquam sine laude nominandus SPERLINGIUS Me-
dit. VII. in Scalig. eff. 2. p. 130. & seqq. Nostrum est, studere bre-
vitati & rem insinuare potius, quàm passis diducere velis.
Dist interim (1.) inter subjectū trāsmutationis, in quo & ex quo.
Aer est equidem subjectū vaporū, in quo, (in ære enim vapo-
res existunt) non autem ex quo. (2.) inter *transmutationem*
corporum simplicium & mistorum. Frustra itaque metallorū & ci-
borum in chylum, transmutationem. Objecit Dn. Zeisoldus.

§. V. *Generationem & corruptionem*, hæc facile amoliuntur
ratiocinationes. *Quia falsa omnia sunt, quæ vulgò pro sententiâ*
hâcce adferuntur exempla. Ut ex inductione liquet. *Quia tanta*
materiæ elementaris moles hodiernum in naturâ est, quanta fuit
ante sex mille propemodum annos. *Quia materiæ naturaliter non*
potest sive corruptibilitas sive generabilitas competere. *Quia deniq;*
falsis nititur hypothesis, quasi nimirum elementorum formæ in mi-
sto non maneant integræ ac illibatæ &c. Ad averruncanda dubia
nonnulla notandæ dist. (1.) inter *elementorum manifestationem*
& propriè dictam generationem. De post: qu: Prior fit; quando
attritu silicis ferrique aut collisione duum sive gladiatorum,
sive scipionum Indicorum, igniculi eliciuntur ac manifestan-
tur. (2.) Inter *variâ Elementorum σύγκρισιν* aut *Διάκρισιν* &
apparentem eorundem γένεσιν aut *διαφθοράν*. Propter miram il-
lam elementorum, nunc congregationem nunc disgregatio-
nem, accidit nonnunquam, ut generari ipsa videantur sic E. G.
atomi aqueæ in aere confertim congregatæ, strictos hume-
ctant gladios, cantharos, barbas & capillos rusticorum, ne-
quaquàm vero aer, quod Dn. Zeisoldo placet.

DUBIUM II.

Utrum Materia Elementorum, sit materia pri-
ma Peripateticorum.

§. I. Pronunciabimus incorruptè, nec invidiæ quic-
quam, nec favori dabimus. Tametsi enim multi, grandioris
notæ Philosophi, non nisi de vocibus reciprocari vitilitiga-
tiones putent, dum concessâ simplici elementorum materiâ
prolixè impugnari prima illa solet; Nos tamen missis illis
mate-

Coment. Phys.
l. 1. c. 2. p. 30.

materiae primae sive cavillationibus sive justis titulis simpliciter negamus quaestionem. Enimvero quid est materia illa Peripateticorum prima? Respondet Aristotelicorum Praestantissimus Magirus: *Materia prima est primum subjectum cuiusque rei, ex quo quodvis corpus naturale per se & non secundum accidens generatur, & in quod resolvitur ultimum.* Idem loco citat p. 38. *Proprietates materiae hujus adducens, prima, inquit, proprietas est, quae Materia prima sit ortus expers, docente Arist. text. 82. l. Phys. Secunda est materiam primam esse expertem interitus. Tertia, quod sit informis. Quarta, quod sit appetens formae naturalis.* Eodem tendunt, quae hoc nomine adducta sunt a B. Martini in Exerc. Metaph. lib. 2. Ex. 1. theorem. 4. p. 536. & seqq.

Dissert. de
princ. C. N.
p. 79.

§. II. Utrum haec cum materiae Elementorum simplici convenient, dispiciamus. Est enim haec pura materia, cujus essentiam nulla alia ingreditur forma. Applicemus hoc. Estne materia simplex elementorum, subjectum omnis & corruptionis & generationis? Neutiquam. In Elementis nullus unquam, sive corruptioni sive generationi fuit locus. Ceu primam demonstratum quaestione est. Cerebrum vacuum potestne subjectum esse sapientiae? Rectissime SPERLINGIUS: *Subjectum respectum habet ad adjunctum. Eatenus aliquid subjectum est, quatenus aliquid recipit. Substantia illa subjectum accidentium est, quae habet accidentia. Anima illa subjectum sapientiae est, quae habet sapientiam.* Porro, estne materia Elementorum nuda aliqua, ut suam illi materiam primam salutant, potentia? Cave dicas. Actum habet Entitativum, licet non formalem. Appetitne materia simplex Elementorum omnes promiscue formas? Neutiquam. Estne cum privatione, elementaris conjuncta materia, ut illa Aristotelicorum prima. Quis asseruerit? Nostra isthaec simplex Elementorum materia est *certum quid, est qualis, est quanta, est determinata, est ad certam restricta formam.* Nihil harum materiae Peripateticorum competit. In cassum igitur laboravere ante ipsum nunc biennium, tum Lipsiae, tum Jenae Philosophi nonnulli, dum evulgatis publice scriptis, Elementorum intelligi posse materiam, per famosam illam primam, ostendere conabantur.

Deo, qVI eLeMenta seCIIt sit perennIs honor!